Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31237
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

Capitulum 72.

Sicut est zelus amaritudinis malus · qui Capitulum lxxij
separat a deo et ducit ad infernum : ita est zelus bonus
qui separat a vicijs · et ducit ad deum · et ad vitam eternam
Hunc ergo zelum ferventissimo amore exerceant monachi : id est
ut honore se invicem preveniant · infirmitates suas sive corpo
rum · sive morum pacientissime tollerent : obedienciam sibi cer
tatim impendant. Nullus quod sibi utile iudicat sequatur : sed
quod magis alij. Caritatem fraternitatis : casto impendant
amore · Deum timeant : abbatem suum sincera et humili
karitate diligant xpo nichil omnino preponant : qui nos pa
riter ad vitam eternam perducat amen De eo quod non omnis
iusticie observacio in hac sit regula constituta Capitulum lxxiij

Capitulum 73.

Regulam hanc descripsimus · ut eam observantes in mo
nasterijs : aliquatenus vel honestatem morum · aut inici
um conversacionis · nos demonstremus habere Ceterum ad
perfectionem conversacionis qui festinant · sunt doctrine sanctorum
patrum : quarum observacio perducit hominem ad celsitudinem
perfectionis Que enim pagina · aut quis sermo divine auctori
tatis veteris ac novi testamenti : non est rectissima norma vi
te humane : aut quis liber sanctorum catholicorum patrum hoc non
resonat : ut recto cursu perveniamus ad creatorem nostrum :
Nec non et collaciones patrum et instituta et vita eorum ·
et regula sancti patris nostri basilij : quid aliud sunt · nisi bene
viventium et obediencium monachorum exempla : et instrumenta virtutum :
Nobis autem desidiosis et male viventibus atque negligentibus : rubor confusi
onis est Quisquis ergo ad patriam celestem festinas · hanc minimam inchoacionis
regulam descriptam · adiuvante xpo perfice : et tunc demum ad maiora que super
commemoravimus · doctrine virtutumque culmina deo protegente pervenies Amen